



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XXVII. De Sacrilegio in personas Sacras.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

De Sacrilegio in personas Sacras.

fario absolvi, quamvis Dæmonem adoraverint, & cum eo commercium habuerint; dummodo Episcopus sibi hæc peccata specialiter non reservaverit, ut aliis citatis probat Tambur. d. lib. 2. in Decalog. cap. 6. §. 2. num. 14. & 15. & Thesaur. de Penis Ecclesiasticis par. 2. Verb. Superstitio cap. 1. à num. 1. usque ad num. 4.

22. *Quer.* An sit aliqua Censura lata in eos, qui vacant studiis Magiæ, & Maleficiorum? *Resp.* Esse excommunicationem latam à Sixto Quinto in Bulla 17. Celi, & Terra. De qua Quaranta Verbo Libri, contra eos, qui scienter legunt, vel retinent libros, scripta, vel tractatus de Divinationibus, aut Magicis artibus: sed hæc Censura nulli est reservata; nisi legens, aut retinens crederet, esse vera, quæ docentur circa coactionem arbitrii humani, vel secreta cordium, quia in hoc casu est error hæreticalis, & sic intrat excommunicationis Bullæ Cœnæ Domini, Papæ reservata. Thesaur. d. par. 2. Verb. Superstitio cap. 1. num. 4. *Vers.* Secundus est.

23. *Quer.* An sit aliqua poena contra inquirentes de Vita, & Morte viventis Pontificis per Aruspices, Ariolos, vel Vaticinatores? *Resp.* Esse latam excommunicationem per Bullam Urbani Papæ Octavi Inscrutabilis editam 1631. Kal. Aprilis, quæ extenditur etiam circa inquirentes de vita, & morte Conanguineorum Papæ usque ad tertium gradum. Et comprehendit etiam habentes, seu retinentes præfata judicia, & Vaticinia. Porro contra inquirentes est reservata Pontifici absolutio, contra verò legentes, vel tenentes non est reservata. Thesaur. d. Verb. Superstitio cap. 1. num. 4. *Vers.* Tertius casus est. Et nos de Penitentia Decis. 48. num. 11. *Vers.* quarto.

24. *Quer.* An Malefici, Vaticinatores, Superstitiosi, & similes sint irregulares? *Resp.* Affirmative post sententiam condemnatoriam, quia fiunt infames, & sic irregulares. Borgal. de Irregular. par. 6. tit. De Sortileg. num. 7. & 8. Thesaur. ubi supra num. 5. Secus autem ante sententiam condemnatoriam. Sayr. lib. 7. cap. 12. num. 2. quamvis dissentiant Garzias par. 7. cap. 8. num. 66. & par. 11. cap. 3. num. 113. & 117. Laymann. de Irregular. cap. 4. §. Dieo 3.

CAPUT XXVI.

De Sacrilegio in genere.

1. *Quer.* Quid sit Sacrilegium? *Resp.* Sacrilegium est Rei Sacræ violatio. S. Thom. 2. 2. qu. 99. art. 1.

2. *Quer.* Quotuplex sit Sacrilegium? *Resp.* Est Triplex, quia Res Sacræ sunt in triplici differentia, videlicet, Personæ, Locus, & Bona, & ideo, qui confitetur commisisse Sacrilegium, debet exprimere, an commiserit illud in personam, vel in locum, vel in bona Deo dedicata. Tambur. in Methodo expedit. Confess. lib. 2. cap. 1. §. 9. num. 59. & in Decal. lib. 2. cap. 6. §. 3. num. 1.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

1. *Quer.* Quot modis committatur Sacrilegium in personas Sacras? *Resp.* Tribus modis. Primò, per violentam manuum iniectionem. Secundò, per usurpationem Jurisdictionem, trahendo personas Ecclesiasticas ad forum Sæculare, & iisdem vectigalia imponendo. Tertiò, per actiones Venereas; ut passim apud DD. & docet Tambur. d. lib. 2. cap. 6. §. 3. num. 2.

2. *Quer.* Quanam sit poena in eos, qui manus violentas injiciunt in personas Sacras? *Resp.* Latam esse excommunicationem per cap. Si quis suadente diabolo 17. qu. 4. quæ est Summo Pontifici reservata. Barbof. in d. cap. Si quis, & Thesaur. de Penis Eccles. par. 2. Verb. Injuria cap. 2. num. 1.

3. *Quer.* Appellatione Clerici, quæ personæ intelligantur circa dictam censuram? *Resp.* Intelligi omnes personas Deo dicatas sive per votum solemne, ut sunt Regulares utriusque sexus, sive per ordines majores, & minores, imò per solam primam Tonsuram. Barbof. ubi supra num. 9. & Sayr. lib. 3. cap. 26. num. 4.

4. *Quer.* An Clerici conjugati gaudeant Canonis Privilegio? *Resp.* Affirmative, si cum Uxore, & Virgine contraxerint, cap. unico. De Cleric. conjug. in 6. Antonell. de Regimine Eccles. lib. 4. cap. 1. num. 3.

5. *Quer.* An eodem privilegio gaudeant Clerici excommunicati, vel irregulares? *Resp.* Affirmative, ac etiam degradati verbaliter, secus autem, si realiter, quia tunc privantur omni privilegio. cap. Degradatio; de Penis in 6. Antonell. d. cap. 1. num. 4.

6. *Quer.* An incurrat excommunicationem, qui percutit Clericum, vel Monachum defunctum? *Resp.* Affirmative, Thesaur. d. Verb. Injuria, cap. 2. *Vers.* Amplia secundo. ubi DD. allegat, à quibus dissentit Henriquez lib. 14. cap. 3. num. 8.

7. *Quer.* An incurrat Censuram Clericus, qui percutit seipsum? *Resp.* Affirmative, si hoc faciat ex ira, & indignatione, secus si spiritu mortificationis, & poenitentiae. Clarus §. fin. quest. 77. num. 3. Thesaur. ibid. Ampliat. 3. ubi tamen citat plures DD. contrarium tenentes.

8. *Quer.* An dicta Censura comprehendat alios, præter percussores? *Resp.* Eam extendi ad mandantem, consulentem, incitantem, consentientem, non impediens, & etiam contra ratam habentes percussorem eorum nomine factam. cap. Quanta, cap. Mulieres. §. ult. de Sent. excommunicat. cap. Cum quis, eod. in 6. Thesaur. ubi supra Ampliat. 4.

9. *Quer.* Quanam sint aliæ personæ gaudentes dicto Privilegio Canonis? *Resp.* Monachi quamvis bigami, vel Clerici in Sacris ordinibus, Equites tria Vota emittentes in Religione à Sede Apostolica approbata. Item Novitii non solum Religionum, sed etiam Militiarum, Tertiarii, qui collegialiter vivunt; famuli, servientes vel Monialibus,

E 2

vel

36 Erot. Eccl. Cap. XXVII. De Sacril. in personas Sacras.

vel alicui Congregationi Presbyterorum canonice instituta, si habitum Clericalem, vel Religiosum portent. Oblati, qui se, & bona sua tradiderunt Religioni; Et Eremitæ, qui de licentia Episcopi in Eremitorio, vel loco sacro vivunt, & serviunt; de quibus omnibus Antonellus d. lib. 4. cap. 1. per totum.

10. *Quer.* An Clericus in minoribus, si sine Veste Clericali, & tonsura incedit, gaudeat Canonis privilegio? *Resp.* Eum non gaudere, quando monitus ad reassumendas Vestes, non reassumit, vel enormitatibus se immiscet. Antonellus d. lib. 4. cap. 2. numer. 1. & 2. ubi notat, tunc se immiscere enormitatibus, quando talia delicta committit, ex quibus efficietur infamis.

11. *Quer.* An Percussor Clerici sit vitandus antequam declaratur excommunicatus? *Resp.* Affirmative, quando est notorius percussor, juxta Extravag. Martini Quinti. Thesaur. de Penit. verb. Censura cap. 4. Quod si dubium sit, an incurrerit? est expectanda sententia declaratoria. Antonell. d. Regim. milit. Eccl. lib. 8. cap. 6. num. 14.

12. *Quer.* Quis possit absolvere percussorem Clerici ab excommunicatione? *Resp.* Solus Papa, si percussio est gravis. Si vero percussio sit levis, etiam Episcopus. cap. Pervenit. ubi DD. de Sent. excomm. Antonell. de Regimine milit. Eccl. lib. 8. cap. 1. num. 1.

13. *Quer.* Quæ percussio dicatur levis, & quæ dicatur gravis? *Resp.* Id esse arbitrium Judicis; nam levitas, vel gravitas judicatur ex circumstantiis personarum, locorum, temporum, modi percussione, & ipsius læsionis. Bellet. de Favor. Cleric. Canon. §. 3. num. 34. Antonell. d. lib. 8. cap. 5. num. 3.

14. *Quer.* An in dubio percussio judicanda sit levis, vel gravis? *Resp.* Quod est judicanda gravis juxta Extravag. Pii Secundi, quam refert Navar. in Manual. cap. 27. num. 91. Antonell. d. cap. 5. num. 6.

15. *Quer.* A quo sit absolvendus Regularis, vel Novitius percussor? *Resp.* A suo Superiore etiam ob percussione factam, antequam in Religionem ingrederetur, ac etiam ob percussione gravem, quia Regularium Superiores censentur habere Privilegium absolvendi. Antonellus d. lib. 8. cap. 5. num. 7. in fine. Nisi Regularis percussisset Clericum Sæcularem, quia tunc est absolvendus ab Episcopo. cap. Religioso, de Sent. excommunic. in 6.

16. *Quer.* An aliquando Clericus percuitur sine incurfu in excommunicationem? *Resp.* Affirmative; quando percussio fuit cum moderamine inculpatae tutelæ; vel quis incontinenti percuteret Clericum inventum turpia agere cum Matre, Uxore, Sorore, aut Filia; secus si cum mulieribus in remotiori gradu. Antonell. d. cap. 5. num. 10. ubi multò magis ait non incurrere, si percussor erat tentatus à Clerico de crimine pessimo.

17. *Quer.* An Episcopus possit absolvere ab hac censura, quando delictum est occultum, quamvis percussio sit gravis? *Resp.*

Affirmative ex Conc. Trid. sess. 24. de ref. cap. 6. Antonell. d. cap. 5. num. 12. Et ego de Pœnitentia Decis. 45. num. 4. & 5.

18. *Quer.* An sint alii casus, in quibus Episcopus possit absolvere ab hac censura, etiam in percussione gravi? *Resp.* Hos esse casus, videlicet, si percussores sint Clerici collegialiter viventes; Si officialis Principis percusserit in exercendo suum officium; si fuerint Moniales; si percussor habeat impedimentum, ita, ut non possit ad Sedem Apostolicam recurrere; quod si impedimentum non sit perpetuum, eo sublato, tenetur ad Sedem Apostolicam ire. Thesaur. de Penit. verb. Injuria d. cap. 2. Et ego de Penit. ubi supra.

19. *Quer.* An Vicarius Episcopi absque speciali mandato possit ab hac censura absolvere, si percussio sit levis? *Resp.* Negative, secundum Sbrozium de Vic. lib. 2. q. 180. Affirmative secundum Bonacin. & alios apud Thesaur. d. cap. 2.

20. *Quer.* An detur appellatio à sententia declaratoria incurfus in hanc excommunicationem? *Resp.* Affirmative, quia potuit Judex injuste declarare; & de Jure non appellatur à sententia excommunicationis quoad effectum suspensivum, sed utique à sententia declaratoria incurfus in excommunicationem. Genuens. in Praxi cap. 22. num. 1, & 2. Antonell. d. lib. 8. cap. 5. num. 15.

21. *Quer.* Quænam pœnæ sint de jure inflicte contra percussores, vel offensores Summi Pontificis? *Resp.* Nullam esse specificam pœnam, quasi videatur impossibile, ut quis audeat Vicarium Dei, & Sanctissimum Pontificem percutere. Thesaur. de Penit. par. 2. Verb. Majestatis læse crimen cap. 2. Porro si quis tantum facinus auderet perpetrare, incurreret omnes pœnas latas contra percussores Clericorum, Episcoporum, ac præcipue Cardinalium. Thesaur. ibid.

22. *Quer.* Quænam sint pœnæ latae contra offendentes, vel percutientes Cardinales? *Resp.* In cap. Felicis, de Penit. num. 6. Latas esse sequentes pœnas contra eos, qui Cardinalem, & à fortiori ipsum Papam fuerit hostiliter insecutus, percusserit, vel coeperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandatis, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit, vel favorem, aut postea receptaverit, vel defensusverit scienter. Prima, est excommunicatio Papæ reservata; singulis Dominicis diebus pulsatis campanis, & accensis candelis publicanda. Secunda, est infamia juris, & sic irregularitas. Tertia, perpetuum bannum. Quarta, amissio facultatis testandi. Quinta, ut domus Rei diruatur. Sexta, ut nemo ei respondeat in Judicio. Septima, Confiscatio bonorum. Octava, privatio beneficiorum, & feudorum. Nona, ut non absolvantur, nisi prævia publica Pœnitentia, quæ duret saltem per tres annos. Decima, filii, & eorum descendentes sunt infames, irregulares, & incapaces beneficiorum, & omnium legitimorum Actuum. Undecima, si Civitas hoc facinus commiserit, vel consenserit, est interdicta, & privata dignitate Episcopali.

Ro.

Erot. Eccl. Cap. XXVII. De Sacril. in personas Sacras. 37

Roma excepta. Duodecima, si Principes, vel eorum officiales supradictas pœnas non fecerint observare, incurrunt excommunicationem, quæ tamen non est reservata. *Thesaur. d. Verb. Majestatis Lese cap. 2. num. 4. & num. 5.* ubi notat ulterius per Bullam S. Pii V. Incipit *Infelicitis* (la 93.) supradictas pœnas omnes extendi ad illos, qui scientes facinus perpetrandum vel contra Papam, vel contra Cardinales, statim non revelaverint. *Farinac. quest. Crimin. 112. à num. 75.*

23. *Quer.* An omnes prædictæ pœnæ cap. Felicis extendantur etiam contra offendentes familiares Papæ, vel Cardinalium? *Resp.* Esse hinc inde opiniones Doctorum, quos refert *Thesaur. d. Verb. Majestatis Lese crimen cap. 5.* ubi tamen ipse adhæret opinioni negativæ, concludens in illo textu in S. præmissis solummodò decerni, tales puniendos esse arbitrio Judicis gravius quidem, quàm si aliquem alium Clericum, vel Religiosum offenderent; & tenet *Menoch. de Arbitr. Casu 552. num. 1.*

24. *Quer.* Quanam sint pœnæ latæ contra offendentes Episcopum? *Resp.* In *Clem. 1. de Penis* offendentes, consilium dantes, vel ratam habentes offensionem Episcopi: Primò, excommunicationi sunt, & absolutio est Papæ reservata. Secundò, privati sunt beneficiis, & feudis. Tertiò, filii, & descendentes sunt inhabiles ad beneficia. Quartò, Civitas, quæ in hoc facinore consenserit, est interdicta. *Thesaur. de Penis part. 2. Verb. Injuria cap. 4.*

25. *Quer.* An aliquando liceat percutere Clericos, vel Moniales ad correctionem? *Resp.* Patrem posse percutere filium Clericum etiam in Sacris constitutum, causa correctionis, multò magis Prælatum, ac Magistrum ejusdem Clerici. Seniores autem Clericos posse verberare eos, qui sunt in minoribus, quando perturbant divina officia. *Bellet. part. 1. de Favore Cleric. Can. S. 2. num. 4. 5. 6. & 7.* Moniales verò, si sint Superiores, posse corrigendo verberare inobedientes sive Novitias, sive Professas; at Moniales Seniores, quæ Superiores non sunt, non posse corrigere, & percutere Moniales professas, sed Novitias tantum docet *Pellizarius de Monial. cap. 10. num. 303. Vers. 24.* Et percussio debet esse levis, alias incurrerent excommunicationem. Tandem hic notandi sunt Versus, in quibus comprehenduntur illi percussores Clericorum, qui possunt absolvi ab Episcopo, quos ponit, & explicat *Bellet. d. part. 1. S. 3. & sunt:*

Regula, Mors, Sexus, Hostis, Puer, Officialis, Deliciosus, Inops, Eger, Senexque Sodalis, Janitor, Astrius, Dubius. Causa levis iustus Debilis, absolvi sine Summa Sede merentur.

26. *Quer.* Quo Jure Clerici sint exempti à Judicibus Laicis? *Resp.* De jure divino, ut habetur *Genes. 47. Esdr. 8. Exod. 21. 3. Reg. 9. Zachar. 2. Psal. 71. Matt. 12. 17. & 27.* Ita *Belletus*, qui innumeros DD. numerat d. S. 1. num. 18.

27. *Quer.* A quo pendeat Potestas Ecclesiastica? *Resp.* Pendere immediatè à Deo,

qui Sacerdotium, & Potestatem immediatam dederat Aaroni, à quo translata est in Christum, & à Christo in Petrum, ejusque Successores, qui propterea eam habent immediatè à Deo. Porro Episcopi eam habent immediatè à Summo Pontifice, & mediatè à Deo. *D. Thom. lib. 4. contra Gent. cap. 76. circa fin. Bellet. d. S. 1. num. 26. 27.* qui subindè agit de origine Laicæ Potestatis.

28. *Quer.* An omnes Clerici gaudeant Privilegio fori? *Resp.* Omnes gaudere, tam constitutos in majoribus ordinibus, quam in minoribus, & in prima tonsura; idemque est de Clericis conjugatis cum Virgine, habitum ferentibus, de Religiosis, Monialibus, Novitiis, Equitibus, Professis in Religione approbata. *Bellet. d. S. 2. num. 3. & seqq.*

29. *Quer.* An Clerici possint renunciare Privilegio fori, & in Judicem Laicum consentire? *Resp.* Negativè, neque de licentia Episcopi. *Bellet. d. S. 2. num. 20.*

30. *Quer.* Quo Jure Respublica Veneta procedat contra Clericos, & Regulares etiam in Sacris ordinibus constitutos? *Resp.* Ex Privilegiis Summorum Pontificum, ut testatur *Jo. Baptista Ferret. Conf. 297. num. 8. & Spec. rel. decis. 133. num. 47.* de quibus Privilegiis agit *Pignatell. in suis Consultationibus Canonicis consult. 103. tom. 1.* nec non *Petrus Zambo-nus in Isagoge in Pract. Criminal. ad leges Venetas. cap. 14. num. 4.* ubi allegat Bullas Sixti IV. 11. Junii 1474. Innocentii VIII. 31. Octobr. 1487. Alexandri VI. 29. Julii 1502. & Pauli III. 28. Octobris 1542.

31. *Quer.* An Magistratus Laici ex sola consuetudine possint Clericos judicare? *Resp.* Negativè, ut pluribus rationibus, juribus, & auctoritatibus probat *Bellet. d. part. 1. De Favore Cleric. person. S. 3. per totum.*

32. *Quer.* An omnes Clerici etiam in minoribus tantum constituti gaudeant Privilegio fori? *Resp.* Negativè, quia illi solum gaudent fori Privilegio, qui vel habent beneficium, vel habitum, & tonsuram deferentes inserviunt alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi ex *Concil. Trident. sess. 23. de Ref. cap. 6.* *Antonell. de Regim. Ecclesiæ lib. 4. cap. 1. num. 5.* Idèò si Clericus in minoribus dimittat habitum, & tonsuram, amittit etiam hoc Privilegium. *Antonell. ibid. cap. 2. num. 1.*

33. *Quer.* An præter Clericos sint alii, qui gaudeant Privilegio fori? *Resp.* Omnes famulos, & familiares Episcopi, & Vicarii, nec non ejus Curix officiales, ac Ministros gaudere hoc privilegio. *Antonell. d. lib. 4. cap. 3. per totum.*

34. *Quer.* Quid Juris si quis Laicus conveniatur coram Judice Laico, & antequam lis finiatur, ipse Reus Laicus fiat Sacerdos? *Resp.* Judicium esse terminandum à Judice Laico. *Cap. Proposuit. De Foro competen. Fagnan. in cap. Magnus. num. 24. de Obligat. ad ratiocin. tom. 2. pag. 344.*

35. *Quer.* An detur casus, in quo Clerici teneantur concurrere cum Laicis in publicis gravedinibus? *Resp.* Dari, quando concurrunt sex circumstantiæ infra scriptæ. Prima, ut Episcopus, & Clerus consentiat. Secun-

38 Erot. Eccl. Cap. XXVII. De Sacril. in personas Sacras.

da, ut evidens utilitas, vel necessitas sublit. Tertia, ut sit communis tam Laicis, quam Clericis. Quarta, ut non sufficiant bona Laicorum. Quinta, ut Clerici non cogantur, sed rogentur, & exactio fiat per ministros Ecclesiasticos. Sexta, ut Summus Pontifex consulatur. Ita Fagnan. in cap. Non minus à num. 22. De Immunit. Ecclesiast. tom. 5. pag. 368. & Antonell. d. lib. 4. cap. 5. num. 24. & 25. Quæ omnia videntur adaptari gravedinibus, quas solvit Clerus Patavinus pro ripis Athesis, & aliis publicis muneribus; vulgò Dadias, sive alias impositiones occasione belli contra Turcas.

36. *Quer.* An Clericus negotiator teneatur ad gabellas? *Resp.* Affirmativè. cap. Quamquam de Censib. in 6. Clem. Presenti ubi gloss. eod. Antonell. d. lib. 4. cap. 6. num. 1. Dicitur autem negotiator, qui emit, ut vendat absque mutatione. Sed excipiuntur plures casus. Primò in his, quæ sunt pro usu Clericorum, & eorum familia. Secundò, si bona sint Ecclesiæ. Tertiò, si Clericus non habens vitium sufficiens faciat aliquid ex industria, ut olim faciebat hic Patavii Parochus S. Agnetis, fabricans mira horologia ferrea quem Castaldiones Artis fabrorum volebant, ut gabellas solveret; sed cum Judex à tali petitione liberavit. Quartò, si vendat ea, quæ collegit ex propriis fundis. Antonell. ubi supra d. cap. 6.

37. *Quer.* Quomodo fiat Sacrilegium cum personis Sacris per Res Venereas? *Resp.* Quando aliquid turpe patrat contra castitatem. Tamburin. in Meth. expedit. Confess. lib. 2. cap. 7. S. 5. num. 29.

38. *Quer.* An necesse sit in Confessione declarare, quòd semel, vel pluries castitatem quis voverit? *Resp.* Negativè, sed sufficit dicere speciem peccati carnalis, & votum habere castitatis. Tambur. d. Expedit. Confess. lib. 2. cap. 7. S. 5. num. 29.

39. *Quer.* An qui Sacrilegium per copulam carnalem commisit, teneatur explicare, an habeat Votum solemne, vel votum simplex castitatis? *Resp.* Sufficere, si dicat habere Votum Castitatis, quia tam solemne, quam simplex respicit æque eandem Virtutem Religionis; & non differt specie solemnitas Voti. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 27. num. 27. & in Decal. lib. 5. cap. 6. num. 14. Hinc sufficit, quòd Sacerdos, vel Episcopus, vel Generalis Religionis accuset, se peccasse carnaliter, & violasse votum Castitatis absque eo, quòd debeat exprimere suum characterem, vel suam Dignitatem, nisi dedisset scandalum, tunc enim ratione scandali deberet se accusare cum manifestatione Dignitatis. Vide Decisiones de Penitentia, Decis. 26. num. 3. Item mulier, quæ peccavit cum Sacerdote, vel Regulari professo, sufficit quòd dicat, copulam carnalem habuisse cum habente Votum Castitatis. Sanchez d. disp. 27. num. 33. & Tamburin. d. S. 5. num. 31. de Pœnit. d. Decis. 26. num. 7.

40. *Quer.* An Presbyter copulam habens carnalem cum muliere soluta, dicatur, committere Sacrilegium? *Resp.* Secundum Juristas negativè, ut demonstrat Clarus in S. For-

nicatio num. 18. ubi DD. Affirmativè secundum Theologos d. mea Decis. 26. num. 7. de Pœnit.

41. *Quer.* An qui habet Votum Castitatis, & inducit alios ad res venereas committendas, teneatur, confitendo suum peccatum, manifestare suum Votum Castitatis? *Resp.* Negativè, quia illud Votum obligat votentem ad non committendas res venereas in se, non autem in aliis. Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 6. num. 10. Tambur. d. S. 5. num. 32. Sed contrarium est tenendum, ut dixi in d. Decis. 26. n. 7. quam studiosus prorsus legat.

42. *Quer.* Quanam pœnæ inflicte sint contra rem carnalem habentes cum Monialibus? *Resp.* De Jure civili esse inflictam pœnam mortis. Menoch. de Arbitr. Judic. cas. 348. num. 24. Bellet. de Pœnis Clericor. S. 5. num. 5. de Jure verò Canonico talis Sacrilegus erit excommunicandus, perpetuo carceri mancipandus, & ejus bona Monasterio applicanda. Farinac. de Delict. carnis quest. 45. num. 26. Bellet. d. S. 5. num. 5. & 6. Ubi notat, quòd in tali Sacrilegio puniuntur affectus etiam si non sit secutus effectus; & quòd ei non conceditur Immunitas Ecclesiæ. Moniales verò, quæ se violari passæ fuerint, perpetuo carceri sunt mancipandæ. Bellet. ibid. num. 7. Ulteriùs ingrediens in Clausuram Monialium ob rem veneream est excommunicatus, & absolutio est reservata Papæ. Barbof. allegat. 50. num. 186. Theaur. de Pœnis Verb. Clausuram. cap. 7. num. 1. ubi advertit, quòd qui ingreditur Monasterium cum legitima licentia ad honestum finem, & itans intus caderet in Sacrilegium cum Moniali, absolutio non esset reservata Papæ. Cæterum ex Constitutionibus Synodalibus esset reservata Episcopo.

43. *Quer.* An Episcopus possit absolvere eum, qui ob malum finem violavit clausuram, si delictum sit occultum? *Resp.* Negare Barbof. de Jure Ecclesiastico lib. 1. cap. 11. num. 145. & Genuen. cap. 67. num. 11. Affirmare Bonacinam de Censuris in Comuni disp. 1. q. 3. n. 1. punct. 3. tom. 1. p. 422. idem Barbof. ad Concil. Trident. sess. 24. de Reform. num. 23. hinc inde allegat DD. & videtur cum affirmantibus transire. Sed tenendum est, quòd non possit, ut ostendi de Penitentia Diss. 45. num. 6. omninò videnda.

44. *Quer.* Quid sit statutum de Jure contra Moniales, vel Clericos in Sacris constitutos contrahentes Matrimonium? *Resp.* Esse excommunicatos per Clement. Unicam de Consanguinit. & Affinit. & sufficit Matrimonium contractum, non consummatum; & ligat quoscunque Regulares professos etiam S. Joannis Milites, qui nulliter contrahunt, irritante contractum Voto solemn. Theaur. de Pœnis Verb. Matrimonium cap. 4. Vers. ex hac Clementina. Ubi notat, quòd si Milites aliarum Religionum, qui non possunt contrahere matrimonium, nisi cum una, vel cum Virgine, vel absque licentia Magni Magistri, si de facto contrahentes Matrimonium contrahant, illud est validum. Dian. par. 2. tract. 2. res. 30.

45. *Quer.*

Erot. Eccles. Cap. XXVIII. De Sacril. in loca Sacra. 39

45. *Quer.* An Papa valeat concedere Moniali, vel Religioso professo, ut Matrimonium contrahat? *Resp.* Affirmative, sed ob magnam causam respicientem bonum publicum. Menoch. lib. 2. *Præsumpt.* 10. num. 35. ubi DD. & exempla adducit.

46. *Quer.* An Monialis clam à Viro corrupta possit petere, & recipere Velum Consecrationis? *Resp.* Communem esse Doctorem opinionem negativam, ut scribit Theaur. verb. *Monialis* cap. 3. qui tamen propè finem Doctores allegat docentes, quòd ad evitandum scandalum potest, & debet hæc Monialis Velum accipere.

47. *Quer.* An Monialis, quæ patitur voluntarias pollutiones sine Valis aperiitione dicatur amittere Virginitatem? *Resp.* Eam amittere secundum Virtutem, & statum; non autem secundum integritatem carnis; idè hæc poterit absque scrupulo Velum consecrationis recipere. Theaur. d. Verb. *Monialis* cap. 3. *Verf. limita* 3.

48. *Quer.* An concupiscere mulierem, dum quis Sacrum facit, vel Sacramenta administret, sit Sacrilegium expressum in confessione fatendum? *Resp.* Affirmative, quia est maxima irreverentia in Deum. Tamburin. *Exped. Confess.* d. lib. 2. cap. 7. §. 5. num. 38. ubi citat Dianam par. 6. tract. 7. ref. 36. & id limitat, si concupisceret, officium recitando. Vide nostras Decisiones de Pœnitentia *Decis.* 27. num. 15.

49. *Quer.* An sit Sacrilegium, si personæ soluta copulam carnalem habeant in die Veneris Sancti, aut Paschatis? *Resp.* Negative, & hæc circumstantia non est necessaria nisi esset cum scandalo. Tamburin. d. §. 5. num. 40. Contrarium tanquam magis probabile tenui de Pœnitentia *Decis.* 28. num. 16.

50. *Quer.* An sit Sacrilegium, rem carnalem habere cum filia Spirituali? *Resp.* Negative; dummodo non intret sollicitatio; vel qualitas Confessarii non assumatur ut medium ad peccatum. Tamburin. d. cap. 7. §. 4. lib. 2. *exped. Confess.* num. 18. Et idè non tenetur Confessarius explicare hanc circumstantiam. Contrarium docent DD. à me relati, & approbati de Pœnitentia *Decis.* 27. num. 11. Et èò magis, si Mœchus eam baptizaverit. Antonellus de Regim. Mil. Eccl. lib. 8. cap. 4. num. 17. 18.

51. *Quer.* An Sacerdotes Græci Uxorati committant Sacrilegium, si rem habeant cum aliis mulieribus? *Resp.* Negative, secundum Tamburin. in *Decalogum* lib. 2. cap. 6. §. 3. ea ratione, quia Græci non vovent castitatem; & idè, ait, licet illa sit circumstantia gravis, tamen speciem non mutat: at venit in confessione explicanda, ut dixi de Pœnitentia *Decis.* 25. num. 17.

CAPUT XXVIII.

De Sacrilegio in loca sacra.

1. *Quer.* Quot modis committatur Sacrilegium in loco Sacro? *Resp.* Quinque modis. Primò, si cum fractura aufe-

ratur res de loco Sacro. Secundò, si in eo exerceatur Judicium Sæculare. Tertiò, si Ecclesia, aut locus Sacer polluatür sanguine, vel semine humano. Quartò, si in loco Sacro sepeliatur excommunicatus, vel infidelis; & Quintò, si loci Sacri Immunitas violetur, extrahendo personas, quæ ibi refugerunt. Tamburin. d. lib. 2. cap. 6. §. 3. num. 6. in *Decalog.*

De Sacrilegio, ob fracturam loci Sacri.

2. *Quer.* Quænam pœna sit inflicta contra infringentes Ecclesias? *Resp.* Inflictam esse pœnam excommunicationis latæ sententia, quæ ante denunciationem non est reservata, sed postquam Episcopi denunciaverint effractoress excommunicatos, non possunt eos amplius absolvere, quia absolutio est Papæ reservata. Theaur. de Pœnis part. 2. Verb. *Sacrilegium* cap. 3. ubi DD. & est *Lex. in cap. Conquest.* 22. de *Sent. Excomm.*

3. *Quer.* Qualis effractio requiratur ad hanc pœnam incurrendam? *Resp.* Sufficere quancunque effractionem vel in portis, vel in feris, vel in muris, vel in vœstibus, vel in fenestris etiam vitreis, si eas impingens faciat cadere, vel cedere, aut vi aperiri. Theaur. *ibid.* cap. 3.

4. *Quer.* Quale furtum requiratur ad præfatam pœnam incurrendam? *Resp.* Quòd furtum sit grave, attingens ad peccatum mortale. Theaur. d. cap. 3. & ibi Suarez, & Filliucc.

5. *Quer.* An dicta excommunicatio contrahatur, si fractura fiat in Oratorio privato? *Resp.* Negative, & neque si in Cœmeterio non unito Ecclesiæ. Theaur. *ubi supra.*

6. *Quer.* An dicta pœna procedat, si quæcunque res inde auferantur? *Resp.* Negative, quia habet locum solummodò, si auferantur res Ecclesiæ, vel ad ejus usum deputatæ. Theaur. d. cap. 3.

7. *Quer.* An rem auferre de loco Sacro sine fractura, sit Sacrilegium? *Resp.* Affirmative, & potest fieri tribus modis, scilicet, furando rem Sacram de loco Sacro, vel rem Sacram de loco non Sacro: vel non Sacram de loco Sacro; dummodo tamen ibi esset vel tanquam in custodia, vel in servitio loci Sacri. Coton. in *Summa Diana* Verb. *Sacrilegium*. num. 2. & in *Verb. Circumstantia*. Ubi num. 39. & idè, qui furaretur crumenam à latere divitis orantis in Ecclesia, non committeret Sacrilegium, quia fur non facit Ecclesiæ specialem injuriam, & non tenetur manifestare in Confessione hanc circumstantiam. Coton. d. num. 39. Porro, contrarium esse tenendum, demonstrant meæ decisiones de Pœnitentia. *Decis.* 27. num. 23. ubi DD. Salmanticenses.

8. *Quer.* An furari Decimas debitas Clericis, vel obventiones, aut eleemosynas eis datas ob functionem Sacram, sit Sacrilegium? *Resp.* Negative, Coton. d. Verb. *circumstantia* Ubi num. 40.

9. *Quer.*